



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**Floremundi Raemundi V. Cl. Olim Consiliarii Regis
Galliarvm Ex Calviniano Catholici Synopsis Omnium hujus
temporis Controversiarum tam inter Lutheranos,
Calvinistas quam alios plurimos. Sive Historia ...**

Raemond, Florimond de

Coloniae Agrippinae, 1655

I. Svb principium saeculi XVI. variis Religionum mutationibus totus
terrarum orbis perturbatur.

urn:nbn:de:hbz:466:1-10880

quidem partes præcipuas hic agent in varias vultus sese transformantes personam modo simulantem modo occultantes, subinde morientes, subinde velut Hydræ capita renascentes. Apparebit hic tum singulare artificium & ordo quo in tanta rerum omnium confusione ad destruendam domum Dei vsi illi; tum industria & modi quibus Catholici iam grassanti malo obviam ire conati sunt. Et quemadmodum ex vna parte elucebit iustitia eius, qui semper bene facit quodeunque etiam facit, quando alij male faciunt, ac præcipue dum eiusmodi turbas ac rebelliones in regno suo excitati permittit, vt tanto maiori ac certiori pace ac quiete postea fruatur: ita ab altera quoque parte misericordia eiusdem & promissorum veritas aperitissimè sese ostendent, ut qui mediis in turbis ac hostium furore Ecclesiam suam, quam agitari, non submergi voluit, tam clementer defendit; ac tam potenter omnibus periculis liberavit. Interim illud quoque Lector animadvertet, paucissimos esse qui Catholicæ Fidei veritati aures occludant, è contragentes natione autem barbaras, locis infinitas, numero innumerabiles obvis ulnis eandem accipere atque amplecti, Urbem aliquam aut civitatem hic à Catholicæ religionis abdicatam vides, alibi integram provinciam eidem de novo adjunctam videbis, provincia aliqua à Catholica Fide abscedit? at integrum alibi Regnum eidem accedit. Omiram Dei providentiam! Vix Septentrionali frigore rigere coepit Religio, quum ecce Austrino calore eadem liquefacta, ad ultimos etiam terrarum fines diffundi & propagari coepit, uti ex Annis Soc. JESU iteris, & Indiarum Historijs constat.

QUOMODO MOTUS OB RELIGIONIS DISSIDIA EXORTI, VARIIS CÆLORUM PRÆLAGIIS & OSTENTIS FACIANT PRÆSIGNIFICATI.

CAPUT II.

ARGUMENTUM.

- I. Sub principium sæculi XVI. variis Religionum mutationibus totus terrarum orbis perturbatur.
- II. Ipsum quoque Cælum multa futurorum malorum præsignia & indicia edidit.
- III. Imperiorum & rerum publicarum ruina.
- IV. Religionis mutationes.

V. Varia Prodigia in aere siue cælo conspecta, instantis Schismatis indicia.

VI. Potentia qua Astris tribuitur, in laudem DEI cedit.

Profunda vt dixi pace, summaque Religionis concordia vniuersus Christianus Orbis fruebatur, in Maiorum fide vnusquisque acquiescebat, nec vlla inter eiusdem religionis socios nisi forte de finibus imperij proferendis erat contentio: quum ecce sub initium decimi sexti sæculi (quod præcipuam nostræ huic historiæ materiam præbebit) omnes Mundi partes schismate & Hæresibus distractæ, infinitis calamitatibus & miserijs inundati coeperunt. In Asia, Africa, Europa, & nouo Mundo turbis & confusionibus pullulantibus: dum alij impiæ Mahumetis commenta & mendacia expolire, alij Euangelicæ Veritatis intellectum nouum quærere student. Itaque videre erat eo tempore Musulmannos cum Turcis; Iezelbas cum Cazelbis; Seriphios cum Africanis; Christianos denique cum Christianis digladiationes inchoando infestis animis ac tanto furore depugnare, vt ne vltimæ quidem sanguinis guttæ parceretur: dum illi veterem & à maioribus acceptam Religionem summo studio tuentur, hi nouam introducere ac stabilire conantur, vt IV libri huius Capite fusius à nobis dicetur. Ita vno eodemque tempore Quatuor Mundi partes Religionum controuersis perturbantur, atque omnia ita miscuerunt, vt ruptis fæderum vinculis populi antea inter se amicissimi, capitalibus odijs dissidere coepissent, & in mutuam perniciem armari. Ex quo apparet quam verè à Gregorio Nazianzeno in l. de Pace Oratione dictum sit, vt ad firmandam ac tuendam hominum concordiam nihil efficacius sit, quam Religionis consensus, ita nihil esse quo eorundem animi magis distabantur atque alienentur quam eiusdem diuersitatem.

II. Sane ipsum cælum quasi iratum tam his quam illis varijs signis ac prodigijs demonstravit, prope diem fore vt suis ipsi manibus alter ab altero debitas pœnas exposcerent. Quemadmodum enim fulmen primum in nubibus scintillas & fulgur quoddam longe lateque explicat, vt aer ipse ardeat videatur, mox horribili cum murmure ipsa terræ fundamenta concutit, antequam rupes & cœlo minantia cacumina diffundat ac dissipet: aut quemadmodum antequam terra ad emittendos visceribus suis inclusos spiritus, & quæ dorso portat de-